



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Acta & scripta Lutheri Anno Domini M. D. XL.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

Ducis Saxonie Georgii, & filii eius vere simpli-
 cis & innocenti, Ducis Saxonie Friderici. Nam
 successor haresque & frater eius, Dux Henricus
 ante a Lutheranis seductus, Lutheri sectam
 publicis mandatis introduxit in omnes terras
 Misnie, Turingie & Saxonie, quae sub ditione
 Ducis Georgii fuerant. Et in Cathedrali Eccle-
 sia Misnensi (vbi antea diuinis officiis, & diuer-
 sis cantandi & psallendi vicibus, laudabatur De-
 us iugiter die ac nocte, omni hora, absque vlla
 intermissione) cultum diuinum maxima ex par-
 te aboleuit antiqua religionis facie prorsus mu-
 tata. Expulsus itaque inde Cochlaeus, paulo post
 commiseratione Venerabilis Capituli Vratisla-
 uenensis, assumptus est in Canonicum Cathedra-
 lis illius Ecclesie. Dūque subsisteret exul aliqua
 die Budissinae in Lusatia, scripsit ibi libellum su-
 per hac quaestione. Vtrum is, qui non est ab ali-
 quo Episcopo legitime in sacerdotem ordinatus
 & consecratus, Eucharistiam per verba consecra-
 tionis conficere queat. Vbi partem negatiuam
 probauit ex omni scripturarum sacrarum gene-
 re, & ex historiis patribusque confutans etiam
 partis aduersae argumenta.

*Acta & Scripta Lutheri Anno Domini
 M. D. XL.*

Hoc anno Cæsar ex Hispaniis, per Gallias *reditus Co-*
 magnificentissima hospitalitate dedu *saris.*
 ctus, in Germaniam Inferiorem reuersus

*per Gallias in
Germaniam.
Conuentus
Hagenois ha-
bitus.*

est feliciter, & Imperialem Conuentum Spira-
habendum indixit. Verum propter pestem, que
Spira tunc erat, translatus fuit Hagenoiam. In
quo Cesaris loco (qui adesse non poterat) Impe-
rii negocia tractabat Rex Romanorum frater e-
ius qui Cochlaeum quoque è Vratislavia illic
proficisci iussit. A quo sane petiit, vt ex actis Col-
loquii Augustensis (quæ scripserat ac Maiestati
eius tradiderat D. Hieronymus Vehus, Cancel-
larius Badensis) compendiū breue colligeret, ac
de 28. articulis Augustanæ Confessionis, quid-
nam bona conscientia & salua fide pacis gratia
queat aut debeat admitti, animi sui sententiam
explicaret. Isigitur per omnes articulos sigilla-
tim, quid concessum, & quid reprehensum ac
negatum fuerit, commemorans: quā breuissime
potuit, affirmavit, se id religiose summa cum fi-
de fecisse, sicut coram Deo intendat confiteri,
& in extrema mortis hora, & in nouissimo die.
In fine tamen adiecit, Complures alios esse con-
tra Catholicam fidem Lutheri complicumque
eius articulos, qui in Confessione illa omitti, in
aliis eorum scriptis euulgati sint: sine quorum
discussione & conciliatione, firma pax aut con-
cordia constitui non poterit. Lutherani autem,
illic in publicis tractatibus nolebant ratam habe-
re conciliationem eorum articulorū, qui Augu-
stæ in septenorum Colloquio concordati fuerat.
Emiserunt autem duo scripta, quæ ad Cesarem
dederant: Vnum in Latino, alterū in Germanico
In quibus

*Relatio de
Colloquio
Augustano.*

In quibus sane sex præcipuos, ac velut necessarios proposuerunt, & sibi concedi petierunt articulos. Quid autem in isceadmitti saluasi de Catholica possit, Cochläus breui scripto indicauit. Petierunt illud Colloquiũ, & obtinuerũt, vt Vnormaciensẽ. Colloquium
ormaciẽ institueretur post paucos menses eodem anno. Quid autem in illo factum ac disputatum sit, Melancthon & Bucerus æditis libris in publicum euulgarunt. Post longam sane translationem cum Dominis præsentibus habitã, Duo disceptauerunt de peccato Originali Collocutores, D. Io. Eckius, et Magister Phil. Melancthon, De quo quidem articulo non fecissent disputandi finem, nisi Cæsaris Commissarius, Illustris Dominus de Granuella, qui mox abitus erat, delectum fecisset, ac binos ex vtraque parte constituisset, qui eum articulum in Quatuor puncta redactum, vt cunque concordarent. De reliquis autem nihil ibi agi potuit. Cochläus autem, ne omnino nihil ibi ageret, suum ædidit Colloquium, quod ante XLX. annos Vnormaciã cum ipso Luthero priuatim habuerat, Cunque magna esset eo anno fama de quodam Principe, quod ultra legitimam vxorem suam adhuc aliam superinduxisset, idque diceretur fecisse consilio & approbatione Lutheri, & quorundam complicum eius: Cochläus contra notum hoc scandalum breuem scripsit libellum. In quo sex rationibus ex veteri Testamento, & totidem ex nouo, probauit, Non licere vili Christiano, Duas aut plures habere vxores.

An liceat
Dis
as habere
vxo
r. s. simul.

res simul, & eodem tempore. Quoniam vero alius Conuentus à Caesare indictus erat Ratisponæ celebrandus, in quo per aliud Colloquium de religione agendum erat: Cochleus Moguntia breuem edidit libellam, & Latine & Germanice, in septimum Augustanæ Confessionis articulum, De vera Ecclesia. Vbi ostendit, eam non esse apud Lutheranos, sed apud Catholicos: Ex eo enim articulo, tota religionis controversia pendere videtur. Edidit & eum libellum ibidem, quem inscripserat, De ordinatione Episcoporum & Presbyterorum, & de Eucharistiæ consecratione, antequam abiret Ratisponam. Et Ingolstadii iam antea Quintam ediderat Philippicam, quam ipsi Philippo eam videre cupienti Vuormaciæ exhibuit. Eodem anno magna facta est in Regno Angliæ, quo ad quæstiones, de religione mutatio. Cum enim ex dissidio (quod erat Regi contra Ro. Pontificem, propter latam de Matrimonio eius sententiam) Lutheranis data esset occasio, atque etiam libertas, irrepenti in regnum illud, suamque heresim concionibus & librorum æditionibus late spargendi, & in populos disseminandi: ea exire multi motus, multa scandala, multæ seditiones & rebelliones (qualia sane incommoda nouitas afferre solet: præsertim vero nouum Lutheri Euangelium, cui prauo sensu tribuit & applicat ipse hoc verbum Christi. Non veni pacem mittere, sed gladium) enascebantur. Quare Rex, Episcoporum & Magnatum consilio, iudicavit publicam

vicum omnium Regni Procerum & Statuum
Conuentum, quem Parlamentum vocant. In
quo pro constabilienda Religionis concordia,
proposuit sex Quæstiones: De quibus in Actis
publicis ita relatum habetur. Tandem post lon-
gam super his articulis deliberationem, post cõ-
sultationes plurimas, post denique argumenta
vtrò citroque infinita connexa, omnium tam
Regiæ Maiestatis, quàm vtriusque Senatorii or-
dinis ac plebis in hunc Senatum coactæ, sum-
mo consensu fuit & est resolutum, decisum ac
statutû, eo modo ac forma, quæ sequitur. In pri-
mis, In beatissimo altaris Sacramento, per vir-
tutem & efficaciam potentissimi verbi Christi,
simul atque illud sacerdos ore locutus fuerit,
sub forma panis & vini, naturale corpus & san-
guinem Dominicum, conceptum ex Maria vir-
gine, realiter adesse: Et post consecrationem,
nullam aut panis aut vini, aut aliam quàm Chri-
sti, Dei & hominis, remanere substantiam. Se-
cundo, Communicare sub vtraque specie, non
est omnibus hominibus iure diuino necesse ad
salutem, Credendumque est & non dubitandû,
quoniam in carne sub specie panis sit verus san-
guis: Et cum sanguine, sub specie vini, sit vera
caro, tam diuisim quàm coniunctim. Tertio, Sa-
cerdotes, postquam sacris initiati sunt, iure diui-
no non possunt vxores ducere: Quarto, Vota ca-
stitatis siue viduitatis, à viro fœminæ non te-
mere facta Deo, iure diuino sunt obseruanda,
Christianiq; populi libertate quadã eos priuât.
que nisi

qua nisi uouissent, potuissent vti frui. Quinto, Missas priuatas in hac Regis Anglicana Ecclesia ac congregatione, admitti ac celebrari, simul & bonum & necessarium est: per quas probi Christiani, quorum vita responderet pariter, & bona & diuina solatia & beneficia inde recipiunt, Missasque celebrari iuri diuino quadrat. Sexto, Expedit, necesseque est, auricularem Confessionem retineri in Ecclesia Dei. Quocirca Regiæ Maiestatis autoritate, ac summo vtriusque Ordinis Senatorii plebisque in hunc Senatum coactæ consensu, in hunc modum, qui sequitur, latum est Senatusconsultum. Qui vel in hoc regno Angliæ, vel in alio quouis Regiæ Maiestatis Dominio, post XII. diem Iulii, qui proxime sequetur, verbo, scripto, prælo, fictitiis characteribus, aut alio quouis modo publice concionantur, docent, dicunt, affirmant, declarant, disputant aut ratiocinantur, In Beato Sacramento altaris, sub specie panis & vini, post eius consecrationem, naturale corpus & sanguinem saluatoris nostri Iesu Christi, conceptum ex Maria virgine, realiter non adesse: Qui post eius consecrationem aliquam substantiam panis & vini, aut aliam substantiam, quam Christi, Dei & hominis, remanere: Qui post diem supra præfixum, publicant, concionantur, docent, dicunt, affirmant, In carne sub specie panis, non esse verum sanguinem Christi, aut cum sanguine sub specie vini, non esse veram carnem Christi, tam diuisim quam coniunctim: Aut docent

concionantur

menciantur, declarant, aut affirmant, dictum
 sacramentum alius esse substantiæ, quàm supra
 demonstratum est: Aut aliquo pacto contem-
 nit aut vituperant Beatum sacramentum alta-
 ris: Tam principalis reus, quàm alii subsidia-
 ri, & qui consilio aut re eum iuuerint, ii omnes,
 posteaquam ea forma iuris, quæ infra sequitur,
 de illius ac illorum malitia constiterit, habe-
 buntur hæretici, omneque huiusmodi malefici-
 um censetur hæresis. Huius hæresis condem-
 nati, igne vitæ amissionem sustinebunt, rei-
 cis omnibus abiurationis Cleri aut Asyli benefi-
 cii bonaque damnatorum, tam mobilia quàm im-
 mobilia, omnia conferentur in fiscum, quæ
 tempore huius aut post delicti commissi, possi-
 debunt per se vel per alios, vt in crimine læsæ
 Maiestatis &c. Hęc Rex Angliæ. Nec multum
 dissimile promulgauit eodem anno edictum
 Cæsarea Maiestas, in prouincijs suis hæredita-
 rijs Germaniæ inferioris. Vbi inter cætera sic
 ait. Nos itaque maturo ac bene deliberato con-
 silio, atque etiam cum consilio & consensu cha-
 ritatis nostræ, Dominæ Mariæ, Reginæ
 Douagietæ, Vngariæ & Bohemiæ &c. Regenti-
 tis & Gubernatis in terris nostris huc versus. Et si-
 militer cū supremo consilio nostro & sceleris, ordi-
 nauimus & statuimus, ordinam⁹. Et itaui⁹, pro
 Edicto et perpetua lege, vt sequitur. primū Vt no-
 mo, cuiuscūq; stat⁹ aut cōditionis fuerit posse de-
 beat apud se habere videri, portare, dare, legere
 prædicare, docere, tolerare, defendere, imper-
 turi, aut

tiri, aut disputare, siue occulte siue manifeste, de doctrina, de scriptis & libris: quos fecerunt aut facere poterunt, Martinus Lutherus, Ioannes Vuicleph, Ioannes Hus, Marsilius de Padua, Oecolampadius, Vlricus Zuinglius, Philippus Melancon, Franciscus Lamperti, Ioannes Pomeranus, Otto Brunfelsius, Iustus Jonas, Ioannes Purpuri & Gorcianus, aut alii autores de eorum secta: similiter & omnes alia secte, ab Ecclesia reprobata. Neque etiam doctrinas ab eorum adhaerentibus, fautoribus & secedentibus: Neque etiam noua Testamenta, impressa apud Adrianum de Bergis, Christophorum de Remunda, Ioannem Zell: Phares scripturae diuinae, Interpretationem nominum Chaldaeorum, Epitomen Topographicam Vadiani, Paralipomena rerum Memorabilium, Historiam Germanorum origine, Eobani Hefsi opera, Dominicas preces Griphii, Methodum in praecipuos scripturae diuinae locos, Erasmi Sarcerii Catechismum &c. Et si quis eiusmodi libros apud se habeat, vt confestim comburat, sub penis (si quis comperiat, contra vlla supra scripta puncta fecisse) declarandis & exequendis. Nempe viros gladio feriendos, Mulieres viuas defodiendas esse, si modo errores suos tolerare aut defendere nolint. Si autem in erroribus & haesibus perseverare velint, igne ad mortem adigendi sunt. Et omnis eorum substantia fisco nostro applicanda est. Haec Caesar.

Acta